



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

Omnibvs Et Singvlis Has Nostras Lectvris, Nos, Qvi lisdem Nomina Nostra
subscipsimus, Augustanæ Confessiononi addicti, Electores, Principes, & Sacri
Romani Imperij, in Germania ordines, pro dignitate ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

OMNIBVS ET SINGVLIS HAS NOSTRAS LECTVRIS, NOS, QVI IISDEM NOMINA NOSTRA subscripsimus, Augustanæ Confessioni addicti, Electores, Principes, & Sacri Romani Imperij, in Germania ordines, pro dignitate & gradu cuiusque, nostra studia, amicitiam ac salutem cum officio coniunctam deferimus
& nunciamus.

BENEFICIUM DEI OPT. MAX. BENEFICIUM est, quòd postremis temporibus, & in hac mundi senecta, pro ineffabili amore, clementia ac misericordia sua, humano generi lucem Euangelij & verbi sui (per quod solum veram salutem accipimus) post tenebras illas Papisticarum superstitionum, in Germania charissima patria nostra, puram & sinceram exoriri & præluce voluit. Et eam sanè ob causam breuis & succincta confessio, ex Verbo Dei, & sacrosanctis Prophetarum & Apostolorum scriptis collecta est: quæ etiam in Comitij. Augustanis, Anno 1530. Imperatori Carolo Quinto excellentis memoriæ, à pientissimis maioribus nostris Germanico & Latino Idiome obla-

ta, & ordinibus Imperij proposita, deniq; publicè ad omnes homines, Christianam doctrinam profitentes, adeoq; in totum terrarum orbem sparsa, ubiq; percrebuit, & in ore & sermone omnium esse cœpit.

Hanc deinceps Confessionem multæ Ecclesiæ & Academiæ, vt Symbolum quoddam horum temporum, in præcipuis fidei Articulis, præsertim controuersis illis, contra Romanenses & varias corruptelas doctrinæ cœlestis, complexæ sunt & defenderunt, & perpetuo consensu ad eam absq; omni controuersia & dubitatione prouocauerunt.

Doctrinam etiam in illa comprehensam, quam scirent & solidis scripturæ testimonijs suffultam, & à veteribus receptisq; Symbolis approbatam, vnicum & perpetuum illum, verè sentientis Ecclesiæ, ac contra multiplices hæreses & errores olim defensum, nunc autem repetitum consensum esse, constanter iudicauerunt.

At verò ignotum nemini esse potest, statim posteaquam summa pietate præditus & præstantissimus heros D. Martinus Lutherus rebus eximeretur humanis, dulcem patriam nostram Germaniam, periculofissima tempora, & rerum perturbationes grauissimas excepisse. In quibus sanè difficultatibus, & Reipublicæ antè florentis optimèq; constitutæ misera distractione, hostis ille

morta-

mortalium astutè laboravit, vt semina falsa doctrinae, & dissensiones in Ecclesijs & scholis spargeret; dissidia cum offendiculo coniuncta excitaret: atq; his suis artibus puritatem doctrinae coelestis corrumpere: Vinculum charitatis Christianae, & pium consensum solueret: sacrosancti Euangelij cursum maiorem in modum impediret & retardaret.

Notum etiam vniuersis est, qua ratione hostes Veritatis coelestis inde occasionem arripuerint, vt Ecclesijs & Academijs nostris detraherent: suis erroribus integumenta inuenirent: pavidas errantesq; conscientias à puritate doctrinae Euangelicae abstraherent: vt illis in ferendo & tolerando iugo seruitutis Pontificiae, & amplectendis reliquis etiam corruptelis cum Verbo Dei pugnantibus, obsequentioribus vterentur.

Nobis profectò nihil vel gratius acciderè poterat: vel quod maiore animorum contentione & precibus à Deo Opt. Max. petendum indicarem: quam vt nostrae & Ecclesiae & scholae, in sincera doctrina Verbi DEI, ac exoptata illa & pia animorum consensione perseverassent: & quod Luthero adhuc superstite fiebat, pie & praeclare secundum regulam Verbi DEI instituta & propagata ad posteritatem fulsissent.

Animaduertimus autem, quemadmodum temporibus Apostolorum in eas Ecclesias, in quibus ipsi Euangelium Christi plantauerant, per falsos fratres corruptelæ introductæ fuerunt: ita propter nostra peccata, & horum temporum dissolutionem, tale quid irato Deo, contra nostras quoque Ecclesias permissum.

Quare nostri officij, quod diuinitus nobis iniunctum esse nouimus, memores: in eam curam diligenter nobis incumbendum existimamus; ut in prouincijs & ditionibus nostris, falsis dogmatibus, quæ ibi sparsa sunt, & subinde magis magisque sese quasi in consuetudinem & familiaritatem hominum insinuant, occurratur: & Imperio nostro subiecti, in recta pietatis via, & agnita & hactenus constanter retenta, defensaque veritate doctrinæ cœlestis perseuerent; nec ab ea se abduci patiantur.

Qua sanè in re, partim antecessores nostri laudatissimi, partim nos elaborare studuimus: cùm anno Christi 1558. Francofurti ad Mœnum, oblata Comitiorum (quæ tum ab Electoribus habebantur) occasione, communibus votis, in eam sententiam itum est, peculiarem & communem conuentum habendum esse: in quo de ijs rebus, quæ ab aduersarijs, Ecclesijs & Academijs nostris

odio-

odiosè per calumniam obijcerentur, solidè
& familiariter tamen inter nos ageretur. 118.

Et quidem post deliberationes illas, antecessores nostri, piæ excellentisq; memoriæ, & partim etiam nos Numburgi in Turingia, congressi sumus. Et tum Augustanam Confessionem (cuius iam aliquoties meminimus) Imperat. Carolo Quinto, in frequentioribus illis Imperij Comitijs, Augustæ anno 1530. habitis oblatam, in manus sumimus: & piæ illi confessioni, quæ solidis testimonijs immotæ ac in Verbo Dei expressæ veritatis superstructa est, tum vna mente omnes subscripsimus. Videlicet, vt ea ratione posteritati consuleremus: & quantum quidem in nobis erat, authores & monitores essemus ad vitanda falsa dogmata, quæ cum verbo Dei pugnarent. Idq; eo consilio fecimus, vt & apud Cæsaream Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum, deinde in vniuersum apud omnes testificatio sempiterna extaret: nunquam in animum nos induxisse, nouum aliquod & peregrinum dogma vel defendere vel spargere velle: sed cupere eam veritatem, quam Augustæ anno 1530. professi sumus, Deo nos iuuante, constanter tueri ac retinere.

Fuimus etiam in spem non dubiam adducti, fore, vt ea ratione non solum ij, qui puriori doctrinæ Euangelicæ aduersantur, a

confictis criminationibus & accusationibus abstinerent, sed alij etiam boni & cordati homines, hac nostra iterata & repetita confessione inuitarentur, & maiori studio & cura Veritatem cœlestis doctrinæ (quæ sola nobis ad salutem ductrix est) quærerent & inuestigarent: & in ea, salutis animæ ac æternæ felicitatis suæ consulturi, repudiatis in posterum omnibus controuersijs & disceptationibus acquiescerent.

Sed non absq; animi perturbatione certiores facti sumus, hanc nostram declarationem ac repetitionem illam piæ confessionis, apud aduersarios parum admodum ponderis habuisse: nec nos & Ecclesias nostras calumnijs præiudiciorum, quæ contra nos illi in vulgus sanè grauissima sparserant, liberatas. Esse etiam ab aduersarijs veræ religionis ea, quæ nos optimo animo & consilio fecimus, in eam partem accepta, perinde ac si ita incerti de religione nostra essemus, eamq; toties in alias atque alias formulas transfuderimus, vt nec nobis nec Theologis nostris constaret, quæ illa olim Augustæ Imperatori oblata confessio esset.

Hæc aduersariorum commenta multos bonos ab Ecclesijs, scholis, doctrina, fide & confessione nostra absterruerunt & abalienauerunt.

Ad hæc incommoda id etiam accessit:

quod

quod sub prætextu Augustanæ Confessionis, dogma illud pugnans cum institutione sacrae Cœnæ corporis & sanguinis Christi, & aliæ etiam corruptelæ passim & in Ecclesias & scholas introducerentur.

Quæ omnia cum nonnulli pij, pacis & concordia amantes, præterea etiam docti Theologi animadvertissent, iudicârunt calumnijs illis, & subinde magis magisq; crescentibus dissidijs in religione, rectius occurri non posse: quàm si controuersi articuli ex verbo Dei solidè accuratèq; declararentur & explicarentur: falsa dogmata rejicerentur & damnarentur: Contrâ autem diuinitus tradita Veritas disertè & luculenter proponeretur. Ut qui sibi persuaderent, hac ratione & aduersarijs silentium imponi: & simplicioribus & pijs viam ac rationem certam demonstrari posse. quomodo porrò in his se dissidijs gerere, & in posterum etiam, diuina adiuti gratia, corruptelas doctrinæ vitare possent.

Principio igitur Theologi scripta quædam hac de re, eaq; satis proluxa & ex Verbo Dei desumpta inter se communicârunt, quibus disertè & dextrè ostenderunt: quomodo controuersia illa cum offensione Ecclesiarum coniuncta, absque vlla veritatis Evangelicæ iactura sopiri, & tolli è medio possent: ita enim futurû, vt aduersarijs occasiones &

prætextus ad calumniam quæsitæ, præciderentur & eriperentur.

Postremò Articulos controuersos in manus sumtos, accuratè & religiosè perpendunt & declarârunt: adeoq; scripto quodam peculiari complexi sunt, qua via ac ratione dissidia illa exorta, rectè & piè componi possent.

Nos autem de hoc pio Theologorum proposito facti certiores, non modò id probauimus, sed magno etiam studio ac zelo, pro ratione muneris & officij diuinitus nobis commisi, promouendum nobis esse iudicauimus.

Ac proinde nos DE I gratia Dux Saxoniae Elector, &c. de consilio quorundam etiam aliorum Electorum & Principum, in Religione nobiscum consentientium, ad prouehendum pium illud, inter doctores Ecclesiae, Concordiae institutum, eximios quosdam minimeque suspectos, exercitatos etiam, & singulari eruditione præditos Theologos, Torgam anno septuagesimo sexto, euocauimus.

Hi cum fuissent congressi, de Articulis controuersis & scripto pacificationis (cuius paulò antè meminimus) religiosè inter se contulerunt.

Et quidem primùm precibus pijs ad Deum Opt. Max. eiusque laudem & gloriam

susce-

susceptis, cura deinde & diligentia singulari (iuuante eos Domini Spiritu gratia sua) omnia ea, quæ ad hanc deliberationem pertinere & requiri videbantur, optimo convenientissimoq; ordine, scripto quodam complexi sunt.

Is postea liber, præcipuis nonnullis Augustanam Confessionem profitentibus Electoribus & Principibus, ac ordinibus transmissus est; & petiit, ut ipsi adhibitis præstantissimis & doctissimis Theologis, sollicita cura, & pio zelo eum legerent, diligenter examinarent, & suam de eo sententiam & censuram scriptis comprehenderent; & postremò de omnibus & singulis iudicium suum eiusque rationes, nobis liberrimè exponerent.

Has ergò censuras cùm accepissemus, multas in ijs pias & vtilis commonefactiones inuenimus, quomodo transmissa illa declaratio sinceræ doctrinæ Christianæ, contra corruptelas ac deprauationes, sacrarum literarum testimonijs muniri, & confirmari posset: ne fortè progressu temporis, sub eius prætextu, impia dogmata occultarentur: sed sinceræ veritatis minimè fucata declaratio ad posteritatem transmitteretur.

Ex his ergo, quæ optimè meditata ad nos peruenerant, Liber istæ piæ Concordiæ, de

quo diximus, compositus, & ea forma, qua subijcietur, absolutus est.

Deinceps ex nostro ordine quidam (neque enim nos omnes, ut & alij nonnulli, hoc tempore certas ob causas, quæ obstabant, id facere poteramus) librum hunc omnibus & singulis nostrarum regionum & ditionum Theologis, Ecclesiæ & Scholarum ministris, articulatim & distinctè recitari, & ipsos ad diligentem accuratamq; considerationem earum doctrinæ partium, quæ in illo continentur, excitari curauimus.

Cùm ergo illi declarationem controuersorum Articulorum congruere in primis quidem cum verbo Dei, deinde Augustana Confessione animaduertent: promptissimo animo & testificatione suæ erga Deum gratitudinis hunc Concordiæ librum, ut piam & genuinam sententiam Augustanæ Confessionis exprimentem, vtrò & quidem accuratè meditatam & consideratum receperunt, approbârunt, eique subscripserunt, & de eo corde, ore & manu palàm testati sunt.

Quare pia illa pacificatio, non solum paucorum quorundam nostrorum Theologorum, sed in vniuersum omnium & singulorum Ecclesiæ ministrorum & ludimoderatorum

torum in nostris prouincijs & ditionibus,
consentiens & concors confessio & vocatur
& perpetuò erit.

Quia verò nostræ & præclari nominis antecessorum nostrorum primùm Francofurti ad Mœnum, deinde Numburgi pio & sincero animo susceptæ, & scriptis comprehensæ conuentiones, non modò eam, qui expetebatur, finem, & pacificationem non sunt assecutæ: sed ex ijs etiam, à quibusdam patrocinijs erroribus & falsis dogmatibus quæsitum est.

Cùm tamen nobis ne in mentem quidem vnquam venerit, hoc nostro scripto vel nouum aliquod & falsum doctrinæ genus introducere, integumentis commendare, confirmare, vel in minimis etiam à confessione illa anno 1530. Augustæ exhibita discedere, quin potius quotquot nostrum actionibus Numburgicis illis interfuimus, tum etiam id integrum nobis reseruauimus & promisimus iasuper, vt si quid successu temporis in nostra confessione desideraretur, aut quoties id necessitas postulare videretur, nos porrò omnia solidè & prolixè declaraturos esse. Ideoq; hanc ipsam ob causam in hoc libro Concordiæ ad declarationem constantis & perpetuæ voluntatis nostræ, & repetitionem Christianæ fidei

& Confessionis nostræ, magno & pio consensu elaborauimus.

Ideo ne aduersariorum nostrorum calumnijs de ingenio suo confictis, quibus iactant, ne nobis quidem constare, quæ sit vera & genuina illa Augustana Confessio, aliqui se turbari sinant: sed & ij, qui nunc in uiuis sunt, & posteritas etiam disertè & firmiter doceatur, ac certior reddatur, quænam illa pia confessio sit, quam & nos & Ecclesiæ ac scholæ nostrarum ditionum omnibus temporibus professæ & amplexæ fuerint: post sinceram & immotam Verbi Dei veritatem, solam primam illam Augustanam Confessionem Imperatori Carolo V. anno 1530. in celebribus illis Comitijs Augustanis exhibitam, solam (dicimus) nec ullam aliam amplecti nos velle luculentè testamur: cuius exempla in Archiuis antecessorum nostrorum excellentis memoriæ, qui ipsi Carolo V. in Comitijs illis eam exhibuerunt, reposita, per fide dignos homines, ne quid ad accuratissimas rationes diligentia in nobis desideraretur, cum eo, quod Imperatori ipsi exhibitum est, & in Sac. Rom. Imp. archiuo asseruatur, conferri voluimus: & certissimus nostra & Latina & Germanica exempla per omnia sibi conformi sententia inuicem respondere. Quæ etiam de causa, Confessionem illam tum exhibitam,

nostræ

nostræ, quæ his subijcietur, declarationi, siue libro Concordiæ, inserere volumus: vt omnes intelligant, quòd in nostris ditionibus, Ecclesijs & scholis nullam aliam doctrinam ferre constituerimus, quàm quæ Augustæ anno 1530. à commemoratis suprâ Electoribus, Principibus & Imperij ordinibus solenni confessione approbata fuit.

Hanc Confessionem etiam, Deo nos bene iuuante, vsque ad vltimos spiritus, piè ex hac vita ad cœlestem patriam migraturi, tenebimus: excelso & intrepido animo paræque conscientia, comparituri coram tribunali Domini nostri Iesu Christi.

Speramus itaque aduersarios nostros posthac & nobis, & Ecclesiarum nostrarum ministris parsuros esse: nec consuetis illis & grauissimis criminationibus vsuros, nos de fide nostra nihil certi apud nos ipsos posse constituere, eamque ob causam ferè singulis annis imò verò mensibus, nouas confessiones cudere.

Porro quod ad alteram Augustanæ Confessionis editionem, cuius etiam in Numburgicis actis fit mentio, attinet, animaduertimus (quod & notum vniuersis est) quosdam sub prætextu Verborum posterioris illius editionis, corruptelas in negotio cœnæ, & alios errores contegere & occultare voluisse: & scriptis publicè excusis im-

peritæ plebeculæ obtrudere conatos : nec motos esse Augustanæ Confessionis (quæ prima exhibita est) disertis verbis , quibus errores illi palàm reijciuntur : ex quibus etiam longè alia, quàm ipsi volunt , sententia euinci potest.

Visum igitur est nobis, hisce literis publicè testari , & certiores facere vniuersos , quòd nec tum, ac ne nunc quidè, vllò modo voluerimus falsa & impia dogmata & opinioniones (quæ sub integumentis aliquib. verborum latère possent) defendere , excusare, aut veluti cum doctrina Euangelica consentientes, approbare.

Nos sanè nunquam posteriorem editionem in ea sententia accepimus, quæ à priori illa, quæ exhibita fuit, vlla ex parte disideret.

Nec etiam alia scripta vtilia D. Philippi Melanchthonis, neque Brentij, Urbani Regij, Pomerani & similium repudianda ac damnanda esse iudicamus, quatenus cum ea norma, quæ Concordiæ libro expressa est, per omnia consentiant.

Quamquam autem nonnulli Theologi, & in his ipse Lutherus, cum de Cœna Dominica agerent, inuiti etiam ab aduersarijs ad disputationes de personali Vnionè duarum in Christo naturarum pertracti sint, tamen

Theo-

Theologi nostri in Concordiæ Libro, & ea, quæ in illo est, saniores doctrinæ norma, difertè testantur, & nostram & huius libri sententiam constantem & perpetuam esse, pios homines in negotio Cœnæ Dominicæ ad nulla alia fundamenta, quàm Verborum institutionis testamenti Domini nostri Iesu Christi, deducendos esse. Nam cum ille & Omnipotens & Verax sit, expeditum ei esse, ea, quæ & instituit, & verbo suo pollicitus est, præstare.

Et sanè, cum hoc fundamentum ab aduersarijs impugnatum non fuerit, de alijs probandi rationibus in hoc argumenti genere non contendunt: sed in vera fidei simplicitate verbis apertissimis Christi firmiter insistent: quæ ratio tutissima, & erudiendis imperitis hominibus accommodatissima est; neque enim illi eæ, quæ de his rebus accuratius disputata sunt, intelligunt.

At verò cum illa assertio nostra, & simplex verborum Testamenti Christi sensus ab aduersarijs impugnatur: & velut impius, & rationibus veræ fidei repugnans rejicitur, denique articulis Symboli Apostolici (præsertim de Filij Dei incarnatione, ascensione in cælum, & sessione ad dexteram omnipotentis Virtutis & Maiestatis Dei) contrarius, & proinde etiam falsus esse contenditur, vera solidaque articulorum illorum inter-

pretatione demonstrandum est, nostram illam sententiam nec à verbis Christi, neque ab articulis illis disidere.

Quod verò ad phrasas & loquendi modos attinet, qui in hoc Concordiæ libro, quando de maiestate humanæ naturæ in persona Christi, ad dexteram Dei collocatæ & euectæ agitur, vsurpantur: vt omnes sinistrae suspiciones & offendicula, quæ ex varia significatione vocabuli ABSTRACTI (quemadmodum hoc nomine & Scholæ & Patres hactenus vsi sunt) existere possent, è medio tollantur: Theologi nostri disertis & expressis verbis testatum volunt: Maiestatem illam, humanæ Christi naturæ extra vnionem personalem nequaquam ascribendam esse: nec etiam concedendum, quòd humana natura eam Maiestatem, vel propriam, vel per se (etiam in vnione personali) essentialiter, formaliter, habitualiter, subiectiuè (hæc enim, quamuis non satis latina vocabula, scholis placent) possideat. Nam si eam & dicendi & docendi rationem teneremus, diuina & humana naturæ, vnà cum proprietatibus suis confunderentur: humana etiam diuinæ, ratione essentia & proprietatum exæquaretur, imò verò tota negaretur.

Sentiendum ergo esse Theologi iudicant, id ratione & dispensatione hypostaticæ unionis fieri, quemadmodum doctâ antiquitas ea de re cautè locuta est: quod mysterium tantum habet, ut omnes ingenij nostri intelligentiæq; vires superet.

Ad condemnationes, reprobationes & reiectiones impiorum dogmatum, & eius præsertim, quod de sacra Cœna extitit, quod attinet: hæc sanè in hac nostra declaratione, & controuersorum articulorum solida explicatione & decisione, expressè & distinctè, non solum eam ob causam, ut vniuersi sibi ab his damnatis dogmatibus cauerent, omnino proponendæ fuerunt, sed ob alias etiam quasdam rationes nullo modo prætermitti potuerunt. Sic ut nequaquam consilium & institutum nostrum sit, eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemi in Veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multò verò minùs rotas Ecclesias, quæ vel sub Romano Imperio nationis Germanicæ, vel alibi sunt, damnare. Quin potius mens atque animus noster fuerit, hac ratione fanaticas opiniones, & earundem peruicaces doctores & blasphemos duntaxat (quos in ditionibus, Ecclesijs & scholis nostris nequaquam tolerandos iudicamus) palàm re-

præhendere & damnare: quòd illi errores expresso Verbo Dei repugnent, & quidem ita, vt cum eo conciliari nequeant. Deinde etiam eam ob causam hoc suscepimus, vt pij omnes de his diligenter vitandis, monerentur. Nequaquam enim dubitamus, multos pios & minimè malos homines, in ijs etiam Ecclesijs, quæ hactenus non per omnia nobiscum senserunt, reperiri, qui simplicitatem quandam suam sequantur, & negotium quidem ipsum non probè intelligant, sed blasphemias, quæ contra sacram Cœnam (quemadmodum ea in Ecclesijs nostris secundùm institutionem Christi dispensatur, & iuxta Verba testamenti ipsius magna bonorum omnium consensione docetur) euomuntur, nullo modo probant.

Magna etiam in spe sumus, illos, si rectè de his omnibus doceantur, iuante eosdem Domini Spiritu, immotæ veritati Verbi Dei, nobiscum & cum Ecclesijs ac scholis nostris consensuros esse. Et profectò Theologis, omnibusq; Ecclesiæ ministris in primis hoc negocij incumbit, vt ex Verbo Dei etiam eos, qui ex quadam vel simplicitate, vel inscitia, à Veritate aberrârunt, de periculo salutis suæ, ea, qua decet, moderatione doceant: & contra corruptelas muniant: ne forè, dum cœci cœcorum sunt duces, vniuersi periclitentur.

Quamob-

Quamobrem hoc nostro scripto, in conspectu omnipotentis Dei, & coram tota Ecclesia testamur, nobis propositum nunquam fuisse, hac pia Conciliationis formula molestiam aut periculum creare pijs, qui persecutionem hodie patiuntur. Quemadmodum enim Christiana charitate moti, in societatem doloris cum eis dudum venimus: ita à persecutione & gravissima tyrannide, quæ in miseros illos maxima exercetur, abhorremus: eamq; ex animo detestamur.

Nullo etiam modo in profusionem innocentis illius sanguinis consentimus: qui haud dubie in tremendo illo Domini iudicio, ac coram tribunali Christi, à persecutoribus illis, magna seueritate repetetur, & hi sanè tum tyrannidis suæ gravissimas rationes reddituri, ac pœnas horrendas subituri sunt.

Nostrum equidem in his (vt supra meminimus) id semper propositum fuit: vt in terris, ditionibus, scholis & Ecclesijs nostris, non alia doctrina, quàm quæ Verbo Dei fundata, & Augustana Confessione, tum Apologia (& ea quidem dextrè in genuino suo sensu intellecta) continetur, sonaret, & accuratè proponeretur; nec pugnantes cum his opiniones admitterentur: quo sanè consilio hæc pacificationis formula instituta & absoluta fuit.

Quare

Quare denuò etiam coram Deo, & omnibus mortalibus profiteamur & testamur: nos declaratione articulorum controuersorum, quorum iam aliquoties mentio facta est, non nouam confessionem, aut ab ea (quæ Imp. Carolo V. felicis recordationis Anno 1530. exhibita fuit) alienam afferre: sed Ecclesias & scholas nostras, in primis quidem ad fontes sacrarum literarum & Symbola, tum ad Confessionem Augustanam, cuius antè meminimus, deducere uoluisse.

Hortamur etiam seuerissimè, ut in primis iuuentus, quæ ad sacrum Ecclesiarum & scholarum ministerium educatur, in hoc fideliter & diligenter instituat: ut ad posteritatem etiam nostram sincera doctrina professioque fidei, usque ad gloriosum illum aduentum vnici Redemptoris & Seruatoris nostri I E S U Christi (largiente hoc sancto Spiritu) conseruetur & propagetur.

Cùm ergo hæc sic habeant, & nos de doctrina & confessione nostra, Prophetis & Apostolicis scriptis eruditi, certi simus, gratiaque sancti Spiritus mentes & conscientiae nostrae maiorem in modum confirmatae sint: Librum hunc Concordiae in lucem eundum putauimus,

Videbatur enim id apprimè esse necessarium,

sariam, vt inter tot nostris temporibus exortos errores, tum offendicula, certamina, & diurnas distractiones illas, pia explicatio & conciliatio harum omnium controuersiarum, e Verbo Dei extracta extaret: vt secundum rationes eius sincera doctrina à falsa internosceretur & fecerneretur.

Præterea ea res ad hoc etiam confert, vt turbulentis contentiosisq; hominibus, qui ad nullam formulam purioris doctrinae astringi se patiuntur, liberam non sit pro sua libidine controuersias cum offendiculo coniunctas mouere: & prodigiosas opiniones & proponere & propugnare.

Ex his enim hoc tandem consequitur, vt purior doctrina obscureretur & amittatur: ad posteritatem autem, nihil quam opiniones & *ἑποχὰι* Academicæ transmittantur:

His accedit & illud, quod pro officij, à Deo nobis iniuncti, ratione hoc nos subditis nostris debere intelligimus: vt quæ ad huius & secuturae vitæ rationes pertinent, diligenter curemus: ac demus operam, vt quæ ad amplificationem nominis ac gloriae Dei, & propagationem Verbi ipsius (ex quo solo salus speratur) ad pacem & tranquillitatem Ecclesiarum & scholarum ad commonefactiones, & consolationem perturbatarum conscientiarum faciunt, summo studio, & qui-

dem

dem quantum fieri potest, procuremus. Præsertim cum nobis certò constaret, à multis bonis & cordatis hominibus summi & infimi ordinis, hoc salutare Christianæ Concordiæ opus, dudum serijs gemitibus, summoque desiderio fuisse expetitum & expectatum: ac ne nos quidem ab initio suscepti negocij pacificationis huius, in ea sententia fuerimus, neq; etiamnum finis, hoc tam salutare, & apprimè necessarium opus Concordiæ, ab hominum oculis remouendum, & penitus occultandum: ac lucem illam cœlestis veritatis subter modium aut mensam ponendam esse: Quapropter editionem eius diutius extrahere neutiquam debuimus.

Neq; dubitamus, pios omnes, qui & veritatis cœlestis & concordiæ Deo gratæ sunt amantes, vnà nobiscum hoc salutare, vtile, pium & pernecessarium institutum probaturos: & non commissuros esse, vt ad amplificationem gloriæ Dei & vtilitatem publicam, quæ & in æternis & temporalibus cernitur, in ipsis aliquid vel ad summum conatum desiderari possit.

Nos certè (vt ad extremum id repetamus, cuius aliquoties supra meminimus) hoc Cōcordiæ negocio nequaquam noua comminisci, aut à veritate doctrinæ cœlestis, quam maiores nostri, pietatis nomine celeberrimi,

sicut

sicut & nos, agnouerunt & professi sunt, vllomodo discedere voluimus.

Eam autem doctrinam intelligimus, quæ ex Prophetis & Apostolicis scriptis extracta, in tribus veteribus Symbolis, Augustana Confessione, anno 1530. Imp. Carolo V. excellentis memoriæ exhibita: Deinde Apologia, quæ huic coniuncta fuit, Smalcaldicis Articulis, vtroq; deniq; Catechismo excellentis viri Doct. Lutheri comprehensa est.

Quare etiam nos ne latum quidem vnguem vel à rebus ipsis vel à phrasibus, quæ in illa habentur, discedere, sed iuuante nos Domini Spiritu, summa Concordia constanter in pio hoc consensu perseueraturos esse, decreuimus: controuersias omnes ad hanc veram normam & declarationem purioris doctrinæ, examinaturi.

Deinde etiam apud animum nostrum constituimus, velle nos cum reliquis Electoribus, Principibus & Ordinibus Sacri Rom. Imperij, & alijs Christianæ Reipublicæ Regibus, Principibus & Magnatibus, secundum Sacri Imp. Constitutiones & pacta conuenta (quæ nobis cum illis sunt) pacem & concordiam colere, & singulis pro dignitatis & ordinis ratione, omnia nostra officia cum beneuolentia coniuncta & deferre & exhibere.

Præ-

Præterea communicatis consilijs, in hoc etiam sedulò incumbemus, vt in ditionibus nostris per diligentes Ecclesiarum & scholarum Visitationes, & inspectiones officinarum typographicarum, & alias denique salutare rationes, obseruatis occasionibus & circumstantijs, quæ ex nostro & aliorum vsu sint, hoc Concordiæ opus magna seueritate & summo studio defendamus.

Dabimus etiam operam, si vel renascentur controuersiæ iam sopitæ, vel nouæ in religionis negotio oriantur, vt eæ absq; longioribus & periculosis ambagibus ad præcauenda offendicula, in tempore è medio tollantur & componantur.

In cuius rei euidentis testimonium, nomina nostra magno consensu subscripsimus; & sigilla etiam adiunximus.

Ludouicus Palatinus Rheni, Elect.
Augustus Dux Saxonie, Elector.

Ioannes Georgius Marchio Brandenburgensis, Elector.

Ioachimus Frider. Marchio Brandenburgensis, Administrator Archiepiscopatus Magdeburgensis.

Ioan-

Ioannes Episcopus Misnensis.
Eberhardus Episcopus Lubecensis.
Administrator Episcopatus Ver-
densis.
Philippus Ludouicus Palatinus
Rheni.
Friderici Vilbelmi &
Iohannis, Ducum Saxonie tutor.
Iohannis Casimiri &
Iohannis Ernesti, Ducum Saxonie
Tutores.
Georgius Fridericus Marchio
Brandenburgensis.
Iulius Dux Brunsvicensis & Lune-
burgensis.
Ottho Dux Brunsvicensis & Lune-
burgensis.
Henricus iunior Dux Brunsvicen-
sis & Luneburgensis.
Vilhelmus iunior Dux Brunsvicen-
sis & Luneburgensis.

c Vuolff-

Vuolfgangus Dux Brunsvicensis
& Luneburgensis.

Vlricus Dux Megalopurgensis.

Iohannis &

Sigismundi Augusti, Ducum Me-
galopurgensium Curatores.

Ludouicus Dux Vuirtembergensis.

Ernesti &

Iacobi Marchionum Badensium
Curatores.

Georgius Ernestus Comes & Do-
minus Hennebergensis.

Fridericus Comes Vuirtembergen-
sis & Mumpelgartensis.

Iohannes Guntherus Comes
Schuarcenburgensis.

Vilhelmus Comes Schuarcenbur-
gensis.

Albertus Comes Schuarcenbur-
gensis.

Emich Comes Leimungensis.

Pbi-

Philippus Comes Hanauensis.
Gottfridus Comes Oetingensis.
Georgius Comes ac Dominus in Ca-
stel.
Henricus Comes ac Dominus in Ca-
stel.
Otto Comes Hoiensis & Bruchbu-
sensis.
Iobannes Comes Oldenburgensis &
Delmenborstensis.
Iobannes Hoierus Comes Mansuel-
densis.
Bruno Comes Mansueldensis.
Hoierus Christophorus Comes
Mansueldensis.
Petrus Ernestus iunior Comes
Mansueldensis.
Christophorus Comes Mansuel-
densis.
Albertus Georgius Comes Stolber-
gensis.

*Vuolfgangus Ernestus Comes Stol-
bergensis.*

Ludouicus Comes Glichensis.

Carolus Comes Glichensis:

Ernestus Comes Reinsteinensis,

Boto Comes Reinsteinensis.

Ludouicus Comes Leonsteinensis.

*Henricus Baro Limpurgensis Sem-
perfrei.*

Georgius Baro Schonburgensis.

Vuolfgangus Baro Schonburgensis.

*Anarc Fridericus Baro Vuilden-
feldensis.*

Consul. & Senatus Lubecensis.

Consul. & Senatus Luneburgensis.

Consul. & Senatus Hamburgensis.

Senatus Brunsvicensis.

Consul. & Senatus Landauiensis.

*Consul & Senatus ciuitatis Mona-
steriensis in valle Gregoriana.*

Senatus Goslariensis.

Con-

Consul. & Senatus Ulmenfis.
Consul. & Senatus Eslingenfis.
Senatus Reutlingenfis.
Consul. & Senatus Nordlingenfis.
Consul. & Senatus Rotenburgenfis
ad Tuberam.
Consul. & Senatus Hale Sueuorū.
Consul. & Senatus Heilbronenfis.
Consul. & Senatus Memmingenfis.
Consul. & Senatus Lindauenfis.
Consul. & Senatus Schuueinfur-
tenfis.
Senatus Donauerdenfis.
Cammerarij & Senatus Ratispo-
nenfis.
Consul. & Senatus V uimpffenfis.
Consul. & Senatus Giengenfis.
Consul. & Senatus Bopfingenfis.
Consul. & Senatus Alenfis.
Consul. & Senatus Kauffbeurenfis.
Consul. & Senatus Isnenfis.

Consul. & Senatus Campidonensis.
Senatus Gottingensis.
Consul. & Senatus Leutkirchensis.
Senatus Hildesheimensis.
Consul. & Senatus Hamelensis,
Consul. & Senatus Hannouerensis.
Senatus Mulhusinus.
Senatus Erfurdensis.
Senatus Eimbecensis.
Senatus Northeimensis.



TRIA